



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 128. Vtrum sit de fide, & ratione naturali probetur dari Angelos, qui non sint forma vllius corporis, ac proindè sint ingenerabiles, & incorruptibiles.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

382 De existentia & incorporeitate Angelorum

tribuerunt demonibus corpora sensitiua, ideoque Apuleius in libro de Deo Socratis definit, demonem: *animal animo patibile, mente rationale, corpore aereum, tempore aeternum*. Chalcedius apud Sanctum Augustinum lib. 8. de ciuit. cap. 16. definit demonem, *animal mentis particeps, animo patibile, corpore aethereum*. Alij è conuerso tribuunt Angelis corpora solum, secundum locum motiua, adeoque dicunt Angelos carere sensu, in quam sententiam inclinatur Caietanus. Alij ponunt aliquos Angelos habere corpora sensitiua, alios habere corpora purè motiua.

6. Sexto Aristoteles sententiam Platonis partim sequitur, partim corrigit. Sequitur Platonem in admittendis tribus explicatis ordinibus substantiarum immaterialium. At Platonem corrigit in duobus. Primo enim Plato in primo ordine posuit plures substantias immateriales, quæ per se sunt id, quod sunt. At Aristoteles posuit unicam substantiam immaterialem, quæ non solum sit per se bonitas, sed etiam per se vita, per se intellectus, & per se omne esse, & omnis perfectio, quæ substantia est Deus, per cuius participationem cætera habent illud esse, & illam perfectionem, quam habent. Secundo Plato in tertio ordine posuit plures animas intellectiuas specie diuersas, quarum aliquæ ordinantur ad animanda corpora aerea, vel ætherea, quales sunt per ipsum animæ demonum. At Aristoteles docuit non aliam dari, nec esse possibilem animam intellectiuam informantem, præter humanam. Ideoque in fine lib. 3. de anima textu 61. ex professo docet, & probat impossibile esse, ut corpus non solum generabile, & corruptibile, sed etiam ingenerabile, & incorruptibile habeat animam intellectiuam sine sensu, ad excludendam opinionem eorum, qui tribuebant Angelis corpora deseruientia ad motum, non autem ad sensum: & textu 66. probat impossibile etiam esse animal habens corpus simplex, puta aereum, vel igneum, ad excludendum errorem eorum, qui dicebant Angelos habere corpora sensitiua, adeoque esse animalia corpore aerea, vel ignea. Licet tamen Aristoteles quoad hæc benè senserit de natura, & incorporeitate Angelorum, tamen in pluribus alijs errauit, in quibus ex doctrina fidei corrigitur præsertim à Sancto Dionysio, qui fuit dux rectè sentientium in hac materia, & quem præcipuè sequuntur S. Thomas, & Theologi communiter.

7. Propositis erroribus, & opinionibus circa existentiam, & incorporeitatem Angelorum, explicandum est, quid fides doceat, & ratio naturalis suadeat: ac quæstione proxima examinandum est, utrum sit de fide, & ratione naturali probeur dari Angelos, qui non sint forma vllius corporis, ac proinde sint ingenerabiles, & incorruptibiles: quæstione sequenti examinandum est, utrum sint possibiles, ac necessarij ad perfectionem vniuersi aliqui Angeli, vel demones, qui naturaliter

sint forma alicuius corporis diuersi à corpore humano.

QVÆSTIO CXXVIII.

Utrum sit de fide, & ratione naturali probeur dari Angelos, qui non sint forma vllius corporis, ac proinde sint ingenerabiles, & incorruptibiles?

S. Th. q. 50. art. 1. & 5. & q. 51. art. 1.

1. **P**rimo videtur ratione naturali non satis probari dari Angelos. Si enim probaretur, maximè ex motibus corporum celestium, & ex mirabilibus operationibus energumencorum, & magorum; sed corpora celestia moueri possunt à propria forma, ut corpora elementaria; operationes energumencorum, & magorum tribui possunt, vel causis occultis merè naturalibus, vel animabus defunctorum; ergo non probantur Angeli, qui sint substantiæ intellectuales distinctæ ab animabus rationalibus.

2. Secundo videntur Angeli habere corpora aerea, vel ætherea, quibus naturaliter vniuntur. Ex Aristotele enim 6. physic. text. 32. nihil mouetur, quod non sit corpus; sed Angeli mouentur, ideoque Damasc. lib. 2. de fide, cap. 3. dicit, *quod Angelus est substantia intellectualis semper mobilis*; ergo habent corpora, ideoque in corporibus apparent.

3. Tertio Origenes lib. 1. Periarchon cap. 6. dicit. *Solius Dei, idest Patris, & Filij, & Spiritus Sancti natura illud proprium est, ut sine materiali substantia, & sine vlla corporea adiectionis societate intelligatur existere*. Bernardus serm. 6. in Cant. *Demus Deo soli, sicut immortalitatem, sic incorporeitatem, cuius natura sola neque propter se, neque propter alium solatio indiget instrumenti corporei*. Liqueat autem omnem spiritum creatum corporeo indigere solatio. Augustinus de Genesi ad literam. *Dæmones aerea dicuntur animalia, quia corporum aereorum natura indigent*. Gregorius Homil. 10. in Euang. Angelum vocat *rationalē animal*; ergo Angeli sunt corporibus vniti.

4. Quarto videntur Angeli non esse immortales, & incorruptibiles per naturam, sed per gratiam. Immortalitas enim per naturam est propria solius Dei, ideoque Damascenus lib. 2. de fide cap. 3. dicit, *quod Angelus est substantia intellectualis, gratia, & non natura immortalitatem suscipiens*.

5. Respondeo, certum est primo certitudine fidei dari Angelos, eosque esse substantias intellectuales creatas, superiores hominibus, & animæ rationali. In sacra enim Scriptura crebrò sit mentio Angelorum, iisque tribuitur scientia, & operationes superiores humanis. Psalmo etiam 8. expressè præferuntur homi-

hominibus, dum de homine dicitur, *minuisti eum paulo minus ab Angelis*, ideoque grauius errauit Georgius Venetus, dum docuit Angelos non solum in gratia, sed etiam in natura esse inferiores hominibus.

6. Secundo certum est ita, vt non possit sine temeritate negari, omnes Angelos esse penitus incorporeos. Passim enim in sacra Scriptura vocantur spiritus. Ad Hebræos primo: *Nonne omnes sunt Administratores spiritus?* Apocal. 14. *A septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt.* Matth. 17. *Eiciebat spiritus imundos &c.* sed nomen spiritus in sacra Scriptura significat substantiam incorpoream, ideoque ad significandam incorporeitatem Dei lo. 4. dicitur: *spiritus est Deus*; ergo Angeli secundum doctrinam sacre Scripturæ sunt penitus incorporei. Propter hæc testimonia Scripturæ plerique Patres, quorum testimonia videri possunt apud Suarez lib. 1. de Angelis, cap. 6. Vasquez disp. 178. cap. 3. docuerunt Angelos esse incorporeos, eamque sententiam Concilium Lateranense sub Innocentio III. quod refertur cap. firmiter de summa Trinitate, si non definit, saltem sequitur. In confessione enim fidei, quæ incipit, *firmiter credimus, & simpliciter confitemur*, postquam confessum fuit Deum esse vnum, & trinum, creatorem visibilem, & inuisibilem, corporalem, & spiritualem, subdit: *Qui sua omnipotentia virtute ab initio temporis vtrunque ex nihilo condidit creaturam, spirituales, & corporales, Angelicam videlicet, & mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam*: quibus verbis cum creaturam spirituales, siue angelicam contraponat tum corporali, tum compositæ ex spiritu, & corpore, manifestè docet Angelos nec esse corporeos, nec esse compositos ex corpore, & spiritu, sed esse puros spiritus. Propter hanc auctoritatem Concilij hæc veritas posset censeri omnino definita, ac de fide, nisi Scholastici, quorum plures vixerunt post Concilium, docuissent adhuc hanc veritatem non esse de fide, eo quod Concilium ea verba protulerit incidenter, & non ex primaria intentione, neque animo definiendi. Admittunt tamen Scholastici communiter incorporeitatem Angelorum non posse sine temeritate negari, vt proinde mirum sit Caieranum, & Augustinum Eugubinum contra sententiam Concilij, & contra communem consensum Scholasticorum, docuisse Angelos habere corpora.

7. Quæritur, vtrum ratione naturali probetur dari Angelos, qui non sint forma vllius corporis, eosque esse necessarios ad perfectionem vniuersi?

8. Respondeo affirmatiue. Probatur primo: nam de facto Aristoteles, & plures alij veterum philosophorum per discursum naturalem assecuti sunt hanc veritatem; ergo hæc veritas sufficienter probatur ratione naturali.

9. Probatur secundo: nam cum finis mun-

di sit, vt intelligatur, & vt per mundum cognoscatur Deus, ad perfectionem mundi requiritur, vt in eo detur aliqua forma, & natura intellectiua; sed non sufficit, vt in mundo detur forma, & natura intellectiua, quæ naturaliter vnatur corpori; ergo debet in mundo dari etiam aliqua forma, & natura intellectiua, quæ non debeat naturaliter vniri vlli corpori. Probatur minor: ad perfectionem enim mundi non sufficit, vt in generibus dentur species imperfectæ, sed requiritur, vt dentur etiam perfectæ, vt patet inductione omnium generum, tum substantialium, tum accidentalium, colorum, saporum, odorum, plantarum, animalium &c; sed in genere intellectiui intellectus, qui naturaliter vnitur corpori, est imperfectus, & quia habet imperfectam vim intelligendi, ad intelligendum indiget auxilio sensuum, ideoque vt docet Aristoteles 2. metaphys. textu 1. *Quemadmodum vespertilio num oculi ad lumen diei se habent, ita & intellectus animæ nostræ ad ea, quæ manifestissima omnium sunt*; ergo ad perfectionem mundi non sufficit, vt detur intellectus naturaliter vnitus corpori, sed requiritur, vt detur intellectus, qui naturaliter debeat esse separatus ab omni corpore.

10. Confirmatur: nam ad perfectionem mundi requiritur, vt passiuæ correspondeant actiua proportionata: ex. gr. potentie passiuæ materiæ ad recipiendas formas correspondere debent proportionales causæ actiue potentes mouere materiam ad tales formas: visibilitati corporum correspondere debet proportionalis virtus visiva; ergo intelligibilitati mundi correspondere debet proportionalis virtus intellectiua; sed intellectus animæ nostræ, quia naturaliter vnitur corpori, non magis adæquat intelligibilitatem mundi, quam virtus visiva vespertilionis adæquet visibilitatem Solis; ergo ad perfectionem mundi requiritur, vt dentur intellectus angelici, qui naturaliter non sint forma vllius corporis, & adæquent intelligibilitatem mundi.

11. Infertur primo Angelos esse naturaliter immortales, & incorruptibiles à fortiori, ac anima rationalis. Probatur: nam forma independens à materia, & à subiecto naturaliter est incorruptibilis; siquidem forma præfertim substantialis eatenus solum corrumpitur, quatenus expellitur à subiecto, à quo dependet; sed Angeli sunt formæ substantiales ita independentes ab omni corpore, & ab omni subiecto, vt naturaliter non debeant vniri vlli subiecto; ergo sunt incorruptibiles: & quia forma viuens incorruptibilis est etiam immortalis, Angeli sunt immortales.

12. Infertur secundo Angelos esse ingenerabiles. Probatur: nam cum generatio fiat, educendo formam ex potentia subiecti, forma independens à subiecto, cum non possit educi ex potentia subiecti, non potest generari, sed solum potest creari ex nihilo sui, & subiecti; sed Angeli sunt formæ independentes ab omni

384 De existentia, & incorporeitate Angelorum.

omni subiecto; ergo non sunt generabiles, sed solum à Deo creabiles.

13. Ad 1. nego maiorem, & dico præcipuum argumentum directè probans dari Angelos, qui non sint forma vllius corporis, desumi ex perfectione vniuersi, ideoque hoc argumento vnicè vtitur S. Thomas 1. part. quæst. 50. & 51. art. vtroque primo.

14. Addo primo ex mirabilibus operationibus energumenorum, & magorum demonstrari saltem in genere dari aliquos spiritus intellectuales inuisibiles, adeoque euerti errorem Saducæorum, & Atheorum negantium omnem spiritum intellectualem inuisibilem.

15. Addo secundo ex iisdem operationibus probabiliter ostendi tales spiritus distingui ab animabus defunctorum. Videretur enim inuenerisimile, quod anima separata habeat maiorem vim mouendi corpora, quam anima corpori vnita; sed spiritus obsidentes corpora energumenorum habent maiorem vim mouendi corpora energumenorum, quam ipsæ animæ energumenorum, ideoque energumeni non possunt spiritibus resistere: rursus spiritus à magis euocati habent multo maiorem vim, quam animæ corporibus vnitæ, cum possint concutere terram, ciere tempestates in mari, & facere alios effectus, quos homines facere non possunt: ergo spiritus obsidentes corpora energumenorum, & euocati à magis distinguuntur ab animabus defunctorum.

16. Addo tertio opinionem docentem corpora cælestia moueri per propriam formam repugnare Platoni, Aristoteli, & omnibus ferè philosophis, theologis, ac Sanctis Patribus, ideoque esse reiiciendam, & ego illam reiicilib. 3. Philosophiæ, quæst. 7. ergo etiam ex motibus corporum cælestium sufficienter probatur dari substantias intellectuales superiores anima rationali, quæ proportionaliter se habent ad gubernanda cælestia, ac homines se habent ad gubernanda inferiora. Verum neque ex energumenis, neque ex motu corporum cælestium directè probatur Angelos carere omni corpore.

17. Ad 2. distinguo maiorem: nihil mouetur motu, quo sit diuisibiliter in loco, nisi corpora, concedo: quo sit indiuisibiliter in loco, nego: concedo minorem; & nego consequentiam. Sicut sola corpora sunt diuisibiliter in loco, ita vt tota sint in toto loco, pars in parte, medietas in medietate loci &c. sic sola corpora mouentur motu, quo sint diuisibiliter in loco. Angeli sicut sunt in loco indiuisibiliter, hoc est toti in toto, & toti in singulis partibus loci, sic mouentur motu, quo sint indiuisibiliter in toto loco, & in singulis partibus loci. Damascenus dum dicit, quod Angelus est substantia intellectualis semper mobilis, loquitur de motu intelligibili, qui exercetur per actus intelligendi, & volendi, ac sensus est, quod Angelus est substantia intellectualis semper actu intelligens, & vo-

lens, vt explicat Sanctus Thomas 1. part. qu. 50. art. 1. ad 2.

19. Ad 3. Vt docet Sanctus Thomas 1. part. quæst. 50. art. 1. ad 1. & 2. Origenes, & alij ex antiquis Patribus iuxta opinionem veterum philosophorum existimauerunt solum Deū carere corpore, Angelos omnes naturaliter vniri alicui corpori, & in hoc errarunt. Bernardus dicens omnem spiritum creatum indigere corporeo solatio, docet, solum Angelos indigere corporeo solatio, non propter se, sed propter nos, vt nimirum familiariter hominibus appareant, & cum illis familiariter versentur, eo pacto, quo Raphael apparuit, & familiariter versatus est cum Tobia. Augustinus dum dicit dæmones esse aerea animalia, quia corporum aereorum natura indigent, non loquitur ex propria sententia, sed ex sententia Platoniorum. Gregorius Angelum vocat rationale animal metaphoricè propter similitudinem rationis, licet propriè non sit animal, cum careat sensu.

20. Ad 4. Deus per naturam est ita immortalis, vt nullo pacto possit destrui: Angeli per naturam sunt ita immortales, vt licet naturaliter non possint destrui, possint supernaturaliter destrui, & solum per gratiam habent, vt sint certi de sua æterna duratione, adeoque vt in sensu composito cum hac certitudine habeant immortalitatem, per quam nullo pacto possint destrui.

QVAESTIO CXXIX.

Virum sint possibiles, ac necessarij ad perfectionem vniuersi aliqui Angeli, vel

Dæmones, qui naturaliter sint forma alicuius corporis diuersi à corpore humano?

S. Thom. quæst. 51. art. 1.

1. **V**idetur ad perfectionem vniuersi requiri, vt præter Angelos omnino incorporeos, dentur etiam aliqui Angeli habentes corpora aerea, vel atherea: primo quia ad perfectionem vniuersi spectat, vt præter intellectus nullum animantes corpus, & præter intellectus animantes corpora crassa, & terrena, & valde imperfecta, dentur etiam intellectus informant corpora subtilia, aerea, & perfectiora: ergo.

2. Secundo præter corpora inferiora corruptibilia dantur etiam corpora cælestia incorruptibilia; ergo præter intellectum hominis, qui ordinatur ad animanda corpora terrena, & corruptibilia, dantur aliqui intellectus perfectiores ordinati ad animanda corpora cælestia, & incorruptibilia.

3. Tertio ad perfectionem vniuersi spectat, vt dentur omnes gradus animatorum; sed si non